

traditas, decenter & accurate quæramus, partesque eorum reflexas FE & GK retrorsum continuemus usque ad mutuum concursum in c; demonstratione oculari deprehendemus, captam circino distantiam c A (loci scilicet imaginis putatici à speculi tergo) æqualem esse intervallo AC, (objecti nempe ante speculum positi) & sic in cæteris.

§. IV.

Notanter autem in §. 2. c. 1. diximus, necesse esse ut specula sint perfecte plana: haud enim diffitemur, dari ejusmodi specula, minutiora præsertim, quæ objectorum imagines propius multo a tergo speculi repræsentant. Verum enim vero, si recte contemplabimur illa, non plana sed incurvata paullo esse reperiemus, adeoque ad convexa magis accedere, eorumque naturam induere. Idem quoque accidit in speculis convexis ac cavis, quæ non perfecte sunt sphærica, nam & hæc aliter nobis phænomena sistunt, quam quæ perfectarum sphærarum sunt segmenta, de quibus nobis hic sermo est.

§. V.

Ad convexa quod attinet specula, varie licet illa repræsentent circa locum phænomena, haud tamen ita difficulter illa ex generali fundamento erunt explicanda: objecto enim CD, fig. 3. in speculum in F, G H & I radiante, reflectuntur & hi radii ad angulos æquales, atque pupillam subeunt in E & K, qui retro producti concurrunt in c & d, ibique objectum spectandum præbent. Quare vero tam cito radii hoc in casu, & tam prope pone speculum coincidunt, in causa est, quod, quando in sphæricum corpus incidentes juste reflecti & pupillam ingredi velint, in superficie speculi admodum coarctari ipsos & pressius multo in puncta F & G, H & I,